

Heinrich Dringenberg

Rector Universitatis Rostochiensis Hinricus Dringenberg/ Hebraeae Linguae, uti & Catech. Christ. Profess. ... Viri ... Dn. Michaelis Geismari, Senatoris plane eximii Funus publicitus selenniterq[ue] indicit, Adq[ue] praestandum ultimum Beati manibus honorem Cives suos Academicos ... invitat : [P.P. sub sigillo Rectoratus, die X. Sept. Anno 1668.]

Rostochi[i]: Kilius, [1668]


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777449099>

Druck Freier  Zugang



Dringenberg, H.,
in M. Geismar.

Rostock. 1668.



158.
RECTOR

UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS

HINRICUS Dringenberg/

Hebreæ Linguae, uti & Catech. Christ. Profess.

Publ. Facultatis item Philosophicæ hodiè

DECANUS;



VIRI

Spectatissimi prudentissimiq;

DN.

MICHAELIS
GEISMARI,

Senatoris planè eximii

Fonus

publicitùs solenniterq; indicit,


Adq; præstandum ultimum BEATI

manibus honorem.

CIVES suos ACADEMICOS

serio studioseq; invitat.

ROSTOCH, Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typ.



Interrogatus aliquando *Schyta* ANACHARSIS,
quidnam infestum maximè homini arbitraretur esse? *ipsummet*, respondit; *sibi ipsi*. Enimvero nullum malum frequentius, nullum pertinacius, nullum deniq; reperiri blandius, quam periculum, quod homini ab homine singulis horarum momentis immineret. Tempestatem (postro causabatur *Schyta*) minari ante, quam surgeret; crepare & dificia ante, quam laberentur; prænunciare fumum incendia, nec ante oriri ista, quam ille præcellisset; ceterum subitam ac inopiam esse homini ex homine perniciem, eoq; regi ipsam studiosius, quo propius accederet. In eandem rem maximus sapientissimusq; Romanorum SENECA, Erras, inquit, *si istorum, qui tibi occurrunt, vultibus credis; hominum habent offigies, animos ferarum: nisi quod perniciosior harum primus saltem incursum sit, si se forte offerant, quos transire non possint. Nunquam enim ad nocendum, nisi necessitas, adigit. aut fame, aut timore coguntur ad pugnam; Ceterum homini hominem perdere vel lubidum est. Rectissime tritum habet illud, ac per vulgare: *ἄνθρωπος ὁ ἀνθρώπου λύκος*. Homo homini lupus, Gravissimusq;*

musq; Auctor idemq; Stoicorum princeps, EPICTE-
TUS, in parilem sensum, quosdam hominum lupis si-
miles esse; infidos, insidiatores, noxios; alios leoni-
bus; agrestes, feroces, immanes; plerosq; vulpeculis;
detrectatores & fraudulentos; clarissime immortalis
opere suo iuit signatum. Si jam porro scisciteris, unde
ista in hominibus pestis, & prava omnibus modis na-
tura seu indoles? pro responso habeas verissimo, ex
nullo alio manare fonte, quam ex sui ipsius ignoratio-
ne. Si enim sese ipsum perno visset homo; si se stercus
inter urinamq; meventisset formari; si stercus potius
esse ipsum recoleret; si se nudum in lucem prodisse a-
nimadverteret; si miserius laboribusq; mersum vitam
hanc vivere cogitaret; si deniq; mortis ad strictum
vinculis meditaretur; futurum profecto erat, ut nun-
quam alteri alter vel cuperet male, vel faceret; nun-
quam alteri alter perniciem interitumq;, absq; ratio-
ne, absq; consilio machinaretur. Cui hodie iusta fa-
cimur, VIR SENATOR, hic planè peculiare quid
nactus præ ceteris videri queat, sicq; ab illo communi
hominum vitio abiisse, uti ne minutissimam quidem inde
attraxisset labem cerneretur. Enimverò & mortalitatis
jugiter ipse suæ probè memor fuit; nunquam, quâ
natus foret conditione, ignoravit; nunquam dedidi-
cit vilitatem ejusce partis, quæ sibi contigerat sequior:
Hinc neq; vidisses efferre sese unquam, aut aliis inso-
lentiùs

lentiùs anteponere; vidiffes porius omnibus cedere
per-lubentem, etiam us, qui longè inferiores forent:
Imò hinc etiam vidiffes, de nullo malè loqui, nulli malè
velle, aut facere malè mortalium; quorum vis facilem
ferre injurias; ipsum nullas omnino inferre aliis; nulli
unquam lupum aut insidiatorem esse; cuius benefac-
ctorem, auxiliatorem, DEUMq; Nos profectò pia-
culum existimavimus fore, & grande nefas, si istam
VIRI inusitatam, & à seculo ceteroquin abhorrentem
virtutem hęc sub ipsum commentationis initium si-
lentio prætereamus. Quæ prætera, more solito, jun-
gi siveverunt ac commemorari, ea verò fide ac indu-
striâ perteximus ejusce, qui historiam SENATORIS
manibus nobis nostris ipse insinuavit. MICHAEL
GEISMARUS, (verba habent) natus est Rostochiiv
anno Servatoris MDCV. XXV. Augusti: Pater ejus fuit
HINRICUS GEISMARUS, civis primarius, à piera-
te, ac vitæ integritate in primis spectabilis, ædis Jaco-
bæ hoc in oppido per XXX. annos Præfectus indu-
strius. Mater fuit ornatissima fæmina MARIA GER-
DES, cui anno superiore LXIII. exequias ivimus. Ma-
trona profectò, cujus raræ animi dotes omnibus, qui
eam noverunt, adhuc in recenti hærent memoria. A-
vus paternus fuit prudentissimus Vir DN. MICHAEL
GEISMARUS, Senator civitatis hujus præstantissi-
mus. Avia paterna fuit ELISA FRESIA, fæmina pi-
entissima,

entissima; ex antiqua familia Fressorum oriunda. Avus maternus fuit JOACHIMUS GERDES, civis Rostochiensis præcipuus. Avia materna fuit CATHARINA CRUGERIA, è vetusta prosapia Vismariz prognata. Proavus paternus fuit Clarissimus & Præstantissimus Vir DN. MICHAEL GEISMARUS, optimarum artium Magister, Senatorq; meritissimus, atq; Cænobii S. Crucis Præfectus vigilantissimus. Proavia paterna fuit MARGARETA ALBRECHTS matrona honestissima. Proavus maternus fuit Amplissimus & Prudentissimus Vir HINRICUS GERDES, Consul de Patria optimè meritus. Proavia materna fuit ELISABETHA SCHMEDES, Brandani Schmedes, Consulis Vismariensis filia. Hisce majoribus originem piè defunctus Geismarus debet. Ipsum verò in lucem, prognatum parentes per lavacrum regenerationis sacrae Ecclesiae inferendum, ac à teneris unguiculis pietate, moribus, & literis, quibus ætas puerilis imbui solet, per Præceptores privatos domi diligenter, cum fratribus germanis, educandum curarunt, si in alq; in patriæ schola V. C. Hinrici Vulpii, Rectoris maximè industrii institutioni commiserunt. Hæc viâ cum tantum domi profecisse videretur, ut cum fructu in Academias ablegari posset, doctorum & prudentium virorum, consilio cum fratre germano jam b. m. Joachimo, anno M DC XXV. Mens. Septembr. Jenam ablegatus est,

est, ubi per biennium gnauiter literis nauantes com-
morati fuerunt. Exacto biennio cum fratre Jenâ
Marpurgum profectus, integrum illic annum exegit,
quò finitò à parentibus domum vocatus rediit. Quan-
quam verò studia sua, in primis jus civile ulterius in
Academiis excolere constituerat: tamen, cum suc-
cessu temporis bellica tempestas hanc provinciam mi-
serandum in modum concutere cepisset, voto excidit,
atq; à parentibus persuasus domi manere, iisq; solatio,
consilio, ac subsidio esse debuit. Postea, Deo ita mon-
derante, parentibus svadentibus, animum ad contra-
hendum matrimonium applicuit, atq; DN. JOHAN-
NIS ARNOLDI, Civis Rostochiensis primarii filiam
DORO THEAM, Sponsam elegit, cumq; ea nuptias
anno M D CXL. celebravit. Ex illa duos filios HIN-
RICUM, & JOHANNEM, sustulit, quorum ille Stu-
diosus Jurisprudentiæ jam in Gallia agit, hic autē mer-
caturæ operans, Hamburgi commoratur. Duobus an-
nis hoc in conjugio transactis, anno lbc XLII, charissi-
ma hac conjuge Dei voluntate orbatus, viduus per an-
nos duos vixit, donec re familiari sic exigente, & pa-
rentibus hortantibus, de secundis cogitationes susci-
pere nuptiis coactus fuit. Itaq; Viri Prudentissimi DN.
JOHANNIS QUATFASELII, Consulis Wittstockien-
sis, qui bellorum, quibus tunc Marchia affligebatur,
gravitate compulsus, cum familia Rostochium com-
migrarat,

grat, filiam, Lectissimam Virginem MARGARE-
TAM, secundi matrimonii elegit sociam, cumq; ea IV.
Julij anno M DC XLV. nuptias fecit, & durante ma-
trimonio sex liberos cum ipsa generavit, MARIAM
CATHARINAM, MARGARETAM ELISABE-
THAM, ANNAM ELISABETHAM, quæ anno
M. DC. XLVII. vitam finivit: JOHANNEM CHRI-
STIANUM, MICHAELEM, JOACHIMUM FRIDE-
RICUM. omnes adhuc superstites. Anno M DC.
XLVIII. die octavo Martii honores ædilitii æ dis Jaco-
beæ ipsi delati sunt, quibus eadem, qua parens ejus, o-
lim fide, industria, & dexteritate per annos XI. functus
est. Anno M DC LIX. Die Martiæ in Senatum coo-
ptatus est. Quam spartam etsi invitatus suscepit, gna-
rus quot & quantas molestias secum curia traheret:
cedendum tamen deferentium & postulantium suffra-
giis, ac patriæ charitati ratus, per IX. ferè annos susti-
nuit, diversisq; functionibus ritu & ordine exigente,
præfuit. Quod ad vitæ clausulam spectat, utur, Dei be-
neficio, per multos ante actæ vitæ annos corporis viri-
ribus satis commodis, & valetudine prospera usus es-
set: tamen superiore vere post festum Paschatis infi-
gni debilitate correptus, specimen præ sese magnæ
subsecutæ vicissitudinis tulit. Atqui, quæ Dei est
benignitas, migrare deterior valetudo, ac locum me-
liori dare visa est. Nam facultas templum visitandi, atq;


in

in ædibus suis deambulandi, imò animi gratiâ curru
excurrendi rus indulta est. At lætitiâ hæc minime
diuturna fuit. Ante septimanas enim duas tanta ipsum
iterum invasit corporis infirmitas, ut perpetuo le-
cto affixum esse necessum esset. Hoc in præcipitio con-
stitutus se sacris cantionibus, ac devotis quotidie præ-
cibus erigere, ac ad beatum è vita exitum parare nun-
quam cessavit; quin bis cænâ Dominicâ, ceu preciosissi-
mo viatico munivit. Hæc tanquam maximi momen-
ti accurans, minimû à Deo Opt. Max. ordinatâ alia me-
dia ac remedia neglexit. Corporis enim curam ex-
perientissimo committens Medico, ea quæ præscripsit
ipsi Medicamenta sine rædio usurpavit. Sed morbi
vis, & fatalis terminus conjugis & liberorum spem, fra-
trisq; unici & cognatorum vota elisit. Quapropter
nocte illa, quæ Kalendas Septembris excepit, plenus
fide in Redemptorem suum, illi in manus Spiritum suum
commendavit, atq; ærunoso huic orbi supremum
vale dixit; postquam annos LXIII. & IV. septimanas
vixisset. *Hactenus VRI historia.* Nos cum bellè omnia,
plenèq; exposita sint, ne verbulum addimus; saltè uti
SENATORI honoratissimo, beneq; de omnibus meren-
tissimo, justo numero exequias eant, CIVES
nostros ACADEMICOS sedulo seriòq;
invitamus.

P.P. sub sigillo Rectoratus, die X. Sept.


Anno 1668.

Convenietur in Æde D. JACOBO Sacrà borà i. pomerid.





grat, filiam, Lectissimam Virginem
TAM, secundi matrimonii elegit socia
Julij anno M DC XLIV. nuptias fecit
trimonio sex liberos cum ipsa genera
CATHARINAM, MARGARET
THAM, ANNAM, ELISABETH
M. DC. XLVII. vitam finivit: JOHA
STIANUM, MICHAELEM, JOACH
RICUM. omnes adhuc superstites
XLVIII. die octavo Martii honores a
beæ ipsi delati sunt, quibus eadem, qu
lim fide, industria; & dexteritate pera
est. Anno M loc LIX. Die Martiæ in
ptatus est. Quam spartam et si in virtu
rus quot & quantas molestias secum
cedendum tamen deferentium & post
giis, ac patriæ charitati ratus, per IX
nuit, diversisq; functionibus ritu & or
præfuit. Quod ad vitæ clausulam spec
neficio, per multos ante actæ vitæ ann
ribus satis commodis, & valetudine p
fer: tamen superiore vere post festur
gni debilitate correptus, specimen pi
subsecutæ vicissitudinis tulit. Atq
benignitas, migrare deterior valetudo
liori dare visa est. Nam facultas templu



ARE
ea IV.
te ma
IAM
ABE-
anno
CHRI-
RIDE-
M DC,
Jaco-
jus, lo-
nctus
Co-
gna-
neret:
Suffra-
fusti-
nte,
ei be-
s viri-
sus ef-
s infi-
agnæ
ei est
me-
atq;
in